



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Epist. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

## EPIST. XXXVIII.

A

PRÆCEPTA vtilia ad Sapientiam, magis quàm Dissertationes sæpe esse. Illa irrepere in animum, & seminis modo fructificare & diffundi.

**M**ERITO exigis, vt hoc inter nos epistolarum commercium frequentemus. Plurimum proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Disputationes præparatae, & effusa audiente populo, plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est: consilium nemo clamore dat. Aliquando vtendum est & illis, vt ita dicam, concionibus; vbi qui dubitat, impellendus est: vbi verò non hoc agendum est, vt velit discere, sed vt discat, ad hæc submissiora verba veniendum est. Facilius intrant, sed & hærent. nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt. quod quamuis sit exiguum, cum occupauit idoneum locum, vires suas explicat, & B ex minimo in maximos auctus diffunditur. Idem facit oratio. non latè patet, si aspicias: in opere crescit. Pauca sunt quæ dicuntur: sed si illa animus benè exceperit, conualescunt & exsurgunt. Eadem est, inquam, præceptorum conditio, quæ seminum. multum efficiunt, & si angusta sunt: tantum, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multa inuicem & ipsa generabit, & plus reddet, quàm acceperit.

## EPIST. XXXIX.

VARIE, & varios, in philosophiâ scripsisse: excitari nos debere, & ardorem capere ab exemplo. Naturam ed ducere, quæ ad excelsa vocat: in quibus non est, plebeia Felicitas, non item voluptas, quia aut fragilia sunt, aut nocent.

**C**OMMENTARIOS quos desideras, diligenter ornatos, & in angustum coactos, ego verò componam: sed vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quàm hæc quæ nunc vulgò Breuiarium dicitur, olim cum Latinè loqueremur, Summariarium vocabatur. Illa res discendi magis necessaria est: hæc scienti. illa enim docet, hæc admonet. Sed vtriusque rei tibi copiam faciam. Tu à me, non est quòd illum aut illum exigas. qui notorem dar, ignotus est. Scribam ego quod vis, sed meo more. Interim multos habes, quorum scripta nescio an satis ordinent. Sume in manus indicem philosophorum: hæc ipsa res expergisci te coget, si videris quàm multi tibi laborauerint; concupisces & ipse ex illis vnus esse. Habet enim hoc optimum in se generosus animus, quòd concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum humili

C

EPIST. XXXVIII. I. CLAMORE DAT.] Non malè Muretus: tamen Muretus. Nam libri omnes, clarè dat: quod esset, clarà & elatà voce. Sanè mox exponit, submissiora verba.

EPIST. XXXIX. I. COMMENTARIOS.] Philosophicos, vt conicio: sed breues, & summam continentes.

2. DILIGENTER ORNATOS.] Meliores libri, ordinatos: quos audio. Ordine & methodo scriptos, memoriæ & disciplina adiuuanda.

3. ORATIO ORDINARIA.] Longa & tractata, quæ differendi speciem habet: quæq; philosophis vulgò in vsu.

4. VULGÒ BREVIARIUM.] Fox bis ter in Suetonio, Plinio, alijs aut medijs.

5. ILLA RES.] Ordinaria oratio.

6. HÆC SCIENTI.] Breuiarium.

7. COPIAM FACIAM.] Fecisti sine? vtinam D habeamus.

8. ILLVM AVT ILLVM.] Auctorem scilicet, quem laudem identidem atq; aduocem, fides causâ.

9. NOTOREM DAT.] Noster in ludo, de morte Claudij: Siquis à me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optimè nosti. Xenophon yvovsivæ dixit: & adhiberi solet, vbi de statu aut qualitate cuiuspiam dubitatur. Dicit igitur Seneca, Mibi fidere & credere debetis: alium notorem siue cognitorem (vt Cicero) non dabo.

10. SATIS ORDINENT.] Id est, ordinata sunt, & materiam disponant.

11. EXPERGISCI TE COGET.] Atte certè, cum vel Chrysippi tantum, vel Aristotelis librorum indices video.

12. ANIMVS